

MORBUS MENTIS IN IURE MATRIMONIALI CANONICO

DE SINGULIS DIAGNOSIBUS MORBI MENTALIS MEDICIS RELATE AD LUCIDA INTERVALLA

(I)

INTRODUCTIO

Obiectum primum disquisitionis constituunt lucida intervalla. In psychiatria moderna de verbo lucidi intervalli mentio non fit, sed tantum sermo fit de remissionibus. Quoniam sit significatio horum phaenomenorum in psychiatria difficile est dictu. Ex summa totius litteraturae phaenomenon hoc intellegitur periodus in morbi mentalis cursu, qua durante symptomata morbi videntur retrocedere complete aut incomplete. Num in his casibus agatur de vera curatione temporanea morbi an potius de melioratione tantum symptomata, in qua scilicet habetur regressio symptomatum, sed morbus in sua integritate ibi nihilominus remanet, nullum responsum categoricum ponere licet. Sunt qui in omnibus casibus et per omnes diagnoses morbi contendunt semper haberi atentem morbum, licet patiens videatur a flagitio suo praecedenti liberatus. Iuxta siquidem istos auctores remissio uti regressio symptomata semel et pro semper est accipienda. Alii autem, quorum sententia argumentis scientificis magis in dies roboratur, animadvertunt dari posse in morbis mentalibus veras ac proprias sanationes, licet sint transitoriae. Admittunt tamen quod existentia horum phaenomenorum dependet a diagnosi morbi medica. Sunt enim morbi, uti dementia senilis, paranoia, korea de Huntington, qui nunquam sanantur, immo constantissime et ininterrupte mentem infirmi vexant. In aliis vero morbis hae curationes transitoriae verificantur, sed per modum exceptionis, uti in schizophrenia et in dementia paralytica; in aliis, uti in psychosi maniaco-depressiva periodi sanationis constituunt signum pathognomicum diagnosis. In singulis praeterea casibus gradus sanationis non uniformiter efficitur quippe quod eadem diagnosis in eodem individuo nunc complete tunc incomplete sanatur, et sic habentur diversi gradus sanationis: sanatio completa, sanatio cum defectu residuali subclinico, seu levissimo, usque ad defectum gravem. Sed quoad principium, hodie sicut antea, in medicina admittitur existentia sanationis temporanae sive haec verificetur spontanea sive producatu ope therapiae. Ex his omnibus superque colligitur sanationes transitorias in morbi cursu constituere quid exceptionis. Ipse conceptus huius phaenomeni iam in se implicite continet conceptum morbi mentalis. Concipi nequit, ut palam est, natura sanationis temporanae, nisi prius habeatur praexistentia morbi mentalis et relapsus morbi. Ergo logice loquendo, ut delineatur definitio sanationis temporanae, prius sermo fieri debet de ipsa natura morbi mentalis. Sed definitio morbi mentalis generalis, comprehendens universum specierum, aut definitio specialis respiciens determinatam diagnosis, in medicina hucusque non habetur. De hoc loqui etiam intendimus. Etsi in medicina